DE

FEBRIUM INTERMITTENTIUM
INDOLE ET NATURA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXII. MENS. APRILIS A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MARCUS BORN

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. HAMBURGER, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
EMAN. HAMBURGER, MED. ET CHIR. DR.
ED. ABARBANEL, MED. ET CHIR. STUD.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLÆNDERIANIS.



PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

NEC NON

VIRO CARISSIMO

MAURITIO MEYER

AVUNCULO SUMME VENERANDO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Nemo historiae medicae artis peritior ignorat de febrium intermittentium indole acerbissimam ab omni tempore inter medicos versatam esse dissensionem, neque ullum fere in humano corpore existere organorum systema, in quo non fomitem hujusce morbi posuerint, ita ut, si quis diversas hac de re proditas opiniones memoriae mandare vellet, huic profecto tota medicae artis historia conscribenda esset. Quin, hodie nondum laeta pace fruimur, nondum dissidia composita sunt. Alii etenim humorum quandam cacochymiam, alii nervos, alii localem, inprimis abdominalium viscerum affectionem accusant, isti febrem nonnisi symptoma localem morbum concomitari, illi ipsam ab hujusmodi affectione nullo modo pendere contendunt, ideoque febrem essentialem appellant. Quaeritur igitur, quinam ex hisce germanam febrium intermittentium naturam cognoverint, vel, an singuli partem solummodo veritatis attigerint, ac quomodo diversae sententiae in unam, quae omnibus satisfaciat, componi, ac veluti coaequari ac conjungi possint. Itaque proposui mihi, si valeam, indolem et naturam febrium intermittentium, quatenus vel jam innotuerit, vel ex symptomatibus, causis ac cadaverum sectionibus conjicere liceret, pro viribus meis indagare. Huic scopo primo febrem intermittentem simplicem, originariam morbi speciem, percenseamus.

FEBRIS INTERMITTENS SIMPLEX.

a. Raro fit, ut intret paroxysmus, cui non prodromi praecesserint. Paullo vel etiam horis nonnullis, antequam febris accedit, leviores horripilationes aegroto superveniunt, cutis madescere desinit, frigescit, pallor obducit faciem, adsunt oscitationes ac crebrae membrorum pandiculationes, animus aegroti deprimitur, ipse de lassitudine queritur, lectulum petit. Coenaesthesis igitur valde afflicta apparet. — Contemplantibus haecce symptomata, nil ipsis inesse, quod non in caeteris quoque febrilibus morbis accidere soleat, manifestum est. At id ipsum tenendum arbitror. Nam in affectionibus mere nervosis singulae accessiones subito plerumque ac quasi fulminis instar, prodromis vel nullis vel per paucas tantum horae minutas praecedentibus, supervenire solent, uti in neuralgia quaque vel epilepsia observatur. Certo praecurrentia illa symptomata e nervorum quadam affectione prodeunt, attamen talem affectionem, qua et calor totius superficiei imminuitur et respiratio et omnium fere vitalium functionum facultas debilitatur, nonnisi ex profundiori labe virium, quae nutritionis seu reproductionis, quae dicitur, functionibus inserviunt, proficisci verosimile est. —

b. Horrores sequuntur, frigoris sensatio adeo augetur, ut, tanquam hiberno gelu concussus, tremat aegrotus; membra quatiuntur, dentes nonnumquam tanto impetu obstrepunt, ut frangantur; pallor totam cutem occupat, labia, nasi apex, ungues coerulea fiunt, cutis rigida et rugosa fit, (cutis anserina,) vultus frigoris sensum exprimit, ac quamvis multis tegumentis aegrotum obveles, non sufficiunt caloris sensui excitando. Respiratio difficilis fit, anxia, tussicula sicca exoritur, aeger inquietus in strato se jactat; alius dolorem capitis obtusum accusat atque in

soporem pronus apparet, crebro dolores colici, vomituritiones ac potissimum sub finem stadii vomitus biliosi, pituitosi, aquosi accedunt. Pulsus inter haec acceleratus, parvus, suppressus, cutis arida, urina limpida, albida cernitur, sitis nonnunquam magna, raro plane abest. Durat stadium duo ad octo horas, diutius maligniori in casu. — Et hujus stadii symptomata considerantibus nil fere obvenit, quod non, quamvis minori vi, atque impetu in caeteris febrilibus morbis observetur. Ipsa autem intensior, qua intrant, symptomatum vis, systema, quod veluti fons ipsorum habendum, acrius irritatum esse declarat; istud vero sine dubio nervorum systema est. Spasmodicam inprimis affectionem adesse ex involuntario artuum tremore, maxillarum obstrepitu, ex cutis anserinae rigiditate, porro ex urina limpida, aquosa, pulsu parvo ac suppresso, sat elucet. Pallor quoque in tota corporis superficie apparens spasmodicae minimorum vasorum contractioni, ex abnormi in ipsa nervorum influxu profectae ascribendus est, quod Senac, Boerhave, Schneider, permulti recentiores scriptores adseruerunt. Revera vasa capillaria, irritamento adhibito, contrahi vel dilatari posse, recentiorum experimentis (Joa. Müller, Valentin) extra dubium positum est.

Pari autem modo, ut vel pallor vel rubor faciei, animi affectus insecuti, existere non possent, nisi nervis quoque vasa comitantibus, illa insita esset vis, qua nunc contractionem ipsorum nunc dilatationem efficere valeant, pari modo dico etiam inter febrile frigus nervorum quadam actione vasorum minimorum contractio, praecipue cutaneorum, effici videtur; inde igitur et pallor, et frigoris sensus, et quia organa interna sanguine nimis repleta, capitis dolor et respirationis molestia et vomitus doloresque colici nascuntur. — Quum autem nullum fere sit membrum, quod non tremore concutiatur, nulla corporis regio, quam non horrores atque frigoris sensus affligant,

centrale organon, idque medullam oblongatam, omnium istorum symptomatum fontem accusare jam non haerebis. Num hanc ob causam in medulla spinali interior morbi sedes quaerenda? Inter plures recentiores Henle quoque id contendit; videbimus autem, quibus conditionibus frigoris symptomata plerumque enascantur, ac quid inde lucis in nostram disquisitionem redundet. Frigore externo diutius vel vehementius affligente horrores excitantur. Ex subita quaque nervorum irritatione, quin ex idea vel imagine rei alicujus fastidiosae, praesertim in hypochondriacis foeminisque hystericis horrores vere febriles nonnunquam proferuntur; Senac, nosse se hominem, narrat, qui cathetere in urethram illato, alium, qui clystere in rectum haemorrhoidibus cruciatum inducto, in horrores inciderit. — Scimus porro nullum fere febrilem morbum, praesertim phlogosin vehementiorem exsurgere, cui non horrores praecurrant; itaque in variola, scarlatina, morbillis initium morbi inde a primo frigore statuitur. Quum in suppurationem abeat pars aliqua inflammata, horrores superveniunt; phlebitis repetitis horroribus excellit. Foetum in utero mortuum frigus subito accedens indicat. Denique foeminae paulo postquam partum edidere, febrili horrore nonnunquam corripiuntur, quamvis valetudo ipsarum nullo morbo turbata sit. — Videmus igitur frigoris phaenomena nil indicare, nisi subitam quandam mutationem in corpore exstitisse, quae vel in quacunque ejus parte sedere atque ex diversissimis causis originem ducere potest. Quum autem frigoris stadium in febri intermittente crebrius ac violentuis aegrotum vexet, nil sequitur, nisi ut agens, morbo isti generando idoneum, acrius atque in caeteris morbis febrilibus in medullam oblongatam irruat, ideoque vehementiorem ejus provocet reactionem, non autem quod in ipsa medulla oblongata sedem habeat. —

c. Sequitur stadium caloris. Sensim sensimque

frigus evanescit, cessant horrores, cutis turgescere, incalescere coepit, caloris sensus mox valde augetur, genae rubent, scintillant oculi, cutis aestuat, sitis insatiabilis aegrotum cruciat, cephalaeam saevientem conqueritur, anxius in lectulo jactatur, nonnunquam deliria adsunt. Pulsus frequens, magnus, fortis, non raro durior, urina parca, flammea, turbida, lingua albida, nonnunquam flavescens, sapor plerumque alienatus est. Sub finem stadii saepe cum magna aegroti sublevatione vomitus biliosi observantur. Durare solet et hoc stadium complures horas. — Neque in hisce symptomatibus quidquam invenies, ob quod intermittentem neurosin appellares. Sine dubio et calor adauctus et pulsuum frequentia maxime a nervorum actione pendet, quum et cordis motum et calorem animalium nervorum inprimis influxui deberi per physicorum experimenta constet; at inde nemo concludat, febrilem morbum neurosin esse. Equidem calorem febrilem reactionem dicerem tanquam liberam seu spontaneam, quae non immediate in irritationem aliquam nervorum insequatur, sed sic ut subjectivi seu complementarii, quos vocant, colores in oculo sponte exoriuntur, posteaquam ipse diutius coloris alicujus extrinsecus oblati seu objectivi effectum passus sit, pari modo caloris in frigoris phaenomena succedere arbitror, ita nempe, ut frigus, inmediata nervorum reactio in nocivam seu morbidam aliquam mutationem, quae alicubi in corpore exorta nervos quasi extrinsecus afflixerit, prodi videatur, (ideoque primum cujusque acutioris morbi symptomata cernatur); calor vero consequatur tanquam spontanea seu complementaria reactio, ubi primaria illa cessaverit. Qui enim aliter fiat, ut ex una causa, quae febri intermittenti proxima supponenda, nunc frigoris nunc caloris phaenomena prodeant. Consentio igitur veterum sententiae febrem naturae medicatricis conamen esse sanandi: unde facile intelligas, qui fiat, ut homines durante frigoris stadio non raro morti

succumbant, cum in ipso organismus morbo quasi obruatur, dum raro quisquam inter caloris stadium defungitur, quippe quod vigorem seu energiam quandam corpori inesse indicio sit.

d. Denique, ut de crisibus paucis dicam, si mihi datum esset demonstrare, et lateritio urinae sedimento et sudoribus revera materiam qnandam peccantem extra corporis limites protrudi, me hac de re nil certe judicare posse, ingenue faterer; at illud persuasum habeo, inde id elucere, morbum caeteris febrilibus aegritudinibus, seu ex locali aliqua affectione seu ex sanguinis depravata mixtione prodeant, non neurosibus adnumerandum esse.

e. Hactenus de paroxysmi phaenomenis. Quodsi de morbi indole ex eis nil concludere potuimus, id effecimus, ut certe neurosibus ipsum adserendum, jam non verosimile sit. Ad apyrexiam igitur transeamus. Apyrexia testatur, agens illud obscurum effectus suos in tempus aliquod prodere cessasse. Quodsi intermittens ex inflammatione aliqua locali penderet, profecto non video, quomodo cum ipsa apyrexiam conjungeres. Nam quae tam vehementes febriles motus, uti descripsi, provocare valet, talis et tanta debet esse phlogosis, ut vix exiguam symptomatum remissionem, nedum intermissionem intrare sinat. Omnino hac in re peculiare quid habet intermittens, quo etiam a meris neurosibus valde differt, dico singularium rhythmicam paroxysmorum reversionem, quod fere unicum huiusce morbi pathognomonicum est signum. Rhythmus, ubicumque in organicae vitae functionibus observatur, aut in ipsius organismi natura constitutus est; aut e rerum externarum in corpus influxu prodit. Et plantarum durante vere et aestate progerminationem, et animalium complurium somnum hiemalem a rhythmo quodam externo seu cosmico pendere, inde cognoscitur, quod et animalia ista, artificiali calori exposita reviviscunt, et plantae in cubiculo calido re-

tentae etiam hiemali tempore fronde et floribus ornantur. Pari modo morbida phaenomena typum quendam sequuntur, uti somnambulismum et helminthiasin inter plenilunium symptomata vehementiora prodere, atque omnes fere febriles morbos vespertino tempore exacerbari, matutina hora remittere videmus: qua in re non possumus, quin Lunae et Solis quosdam in organismum effectus agnoscamus, quorum rhythmicae accessiones a siderum illorum cursu, vita et occasu pendeant. — Huic vero alter rhythmus organismo nativus neque ab externis viribus profectus, opponendus est. Ita et somni capiendi etcibi sumendi tempus diuturna consuetudine statui atque oeconomiae adeo necessarium fieri potest, ut, si forte ab ista consuetudine decedas, bona inde valetudo haud raro turbetur. Pariter menstruatio foeminarum, quamvis et ejus rhythmica reversio partim a Lunae quadam actione dependeat, tamen typum suum maximam partem rhythmicae sui organismi vitae, ut ita dicam, debere videtur; menses enim accedunt, ubi sufficiens humoris secernendi copia in corpore accumulata est; neque id, cum varia sit foeminarum constitutio, vel ante vel post quatuor hebdomadas fieri non potest. Idem de haemorrhoidum fluxu dixeris. — Atque idem igitur in febri intermittente obtingere videtur, quum vel altero, vel tertio, vel quarto die, eadem semper hora paroxysmus redintret; iste, ajo, rhythmus nonnisi ex ipsius morbi natura originem habet; quid enim esset in mundo externo, quod in diversis hominibus, quamvis eodem anni tempore vel die, tamen diversis horis febrilem accessum provocaret? Simul enim et vere et auctumno quotidianae, tertianae et quartanae febres observantur. — Quodsi igitur probatum est typum ipsarum febrium intermittentium natura effici, quaeritur, num quid ex eo de morbi natura conjici liceat. Notum est in febri hectica, qualis phthisin quamque comitatur, typum quendam paroxysmorum observari vel quotidianum

vel tertianum, nonnunquam duplicari accessus, quin fieri posse, ut chinino oblato singuli paroxysmi aut prorsus auferantur, aut certe rhythmus ipsorum commutetur. Consentiunt autem plurimi febrem hecticam naturae conamen esse materiae purulentae, quae in sanguinem est recepta, sudoribus vel diarrhoea tanquam criticis e corpore eliminandae. Anne simile quid in febri intermittente obtingat? Revera plurimi veterum auctorum, quippe qui materiam aliquam peccantem sanguini admixtam causam febrium intermittentium accusabant, fieri quidem, ut per febriles crises humor ille e corpore protrudatur, statuebant, partem autem ipsius in corpore remanere atque durante apyrexia adeo augeri, ut, quum ad molem sufficientem accreverit, novum cieat paroxysmum, idque tum citius tum tardius fieri indeque rhythmum exstare. Concessum sit, plerumque materiam talem febri subesse, quomodo ex ista hypothesi duplices vel triplices intermittentes explices? Num, quum paroxysmum vix peractum recens statim eadem vehementia sequatur, intra breve apyrexiae tempus, quae potius nulla fuit, materiam sat accumulatam contenderis? an duplicem vel triplicem corpori inesse humorem censeas? Id tantum restat, ut morbidam sanguinis mixtionem uno paroxysmo haud plane in integrum restitutam statuas, ideoque quae pars noxia in corpore restiterit, secundum statim paroxysmum ciere. Alii apyrexiam atque rhythmicam paroxysmorum accessionem inde deducunt, quod quidem nervorum systema per certum solummodo temporis intervallum capax sit, quod rerum externarum effectus suscipiat: ita fieri, ut, dolore diutius vexante, tandem ejus percipiendi facultas evanescat, nec nisi, restaurata quodammodo nervorum vi, revertatur, pariter atque diutius aliquis labore fessus, nonnisi quiete necessaria fructus, munia iterum obire possit. Itaque accidere, ut, quum vel repetita venaesectione vel nimia catharsi succorum nutrientium copia exhausta, indeque

nervorum sensibilitas adaucta sit, vel praeponant vel duplicentur paroxysmi. Haerere igitur continuo in corpore agens quoddam morbificum, verum ejus vim nonnisi per intervalla a nervis percipi, ideoque et reactionem febrilem certis periodis existere. — Quodsi nunc omnia, quae sunt supra dicta, brevibus complecteris, elucet, verosimile esse, rhythmum paroxysmorum et naturae cuidam actioni adscribendum esse, quippe quae, quum vel bona fruamur valetudine vel morbo aliquo impliciti simus, functiones suas ad rhythmum quendam semper exercere soleat, et nervorum peculiari indoli, qua isti nonnisi per intervalla effectus extrinsecus percipere peccanti, vel, si mavis, corruptae sanguinis mixtioni, quae quamvis paroxysmo quoque febrili ejusque criticis evacuationibus correcta, tamen post certum temporis spatium denuo exoriatur, rhythmus ille tribuendus sit, nondum contendere possumus, quia prius demonstrandum est revera hic talem materiam peccantem vel corruptam sanguinis mixtionem adesse. Attamen, quum vel neurosin vel inflammationem localem jam magna ex parte repudiaverimus, veram febrium intermittentium indolem in humorum quadam mutatione quaerendum elucet.

DE FEBRIBUS LARVATIS ET MALIGNIS.

Quum jam ex symptomatibus, quibus simplex intermittens stipata incedit, difficile judicatu sit, ex quanam potissimum organismi laesione illa enascantur, multo impeditior haec erit disquisitio, ubi in mille proteiformia phaenomena respexeris, quibus larvatae febres, quae vocantur, insignes sunt. Nullum fere est organon, quod morbo affligi, nulla fere aegritudinis forma, quam intermittens induere nequeat. In universum autem duplex apparendi modus distingui potest, quod quidem larvatus mor-

bus vel irritationis vel depressionis seu paralyseos speciem praebet. —

a. Irritatio, quae hic primum spectanda, nonnunquam inflammationi simillima obvenit. Aeger subito deliriis furibundis corripitur, e lecto exsilire studet, pulsant carotides, rubent oculi genaeque, caput aestuat, pulsus durus et frequens, urit cutis, ut vix dubites, quin vera adsit encephalitis. Alius dolorem pungentem laterum accusat, profundiori inspiratione adauctum, respiratio molesta, celeris, tussis sicca, non raro cum sputis cruentis observatur. Alii terribili in regionibus hypochondriacis saeviente dolore cruciantur, enormes adsunt vomendi conatus, vomitus biliosi, aquosi, summa anxietas, jactatio, alii tormina ventris conqueruntur, crebro accedunt cum tenesmo evacuationes, ut veram dysenteriam adesse credas. At post horas nonnullas omnia silent. Qui vix encephalitide, pneumonia, enteritide laboravit, lassus ac quietus jacet; saepius tamen summa virium jactura e paroxysmo remanens mortem imminentem, ni proximum accessum praecaveas, minatur. Si vera hic inflammatio in visceribus haereret, profecto non tam subito vehementissima symptomata, veluti vento afflante, aufugerent; non ad quotidianum vel tertianum typum reverterentur, neque solo chinino oblato tolli possent: ne dicam, saepius nullum prorsus inflammationis vestigium cadaverum sectionem obtulisse. — At proferuntur exempla, quibus veram phlogosin nonnunquam adesse probatur. Pallas complures casus pneumoniae intermittentis describit, quam nonnisi complicationem febris intermittentis fuisse inde cognoscitur, quia inflammationis symptomata inter apyrexiae tempus remittebant quidem et leniebantur, non autem plane evanescebant: dyspnoea, respiratio anxia, dolorifica, tussis fere convulsiva eadem quotidie pomeridiana hora acerbiora apparebant, sub vesperum leniora, nihilominus non plane recedebant, sed et ante meridiem et matutina hora

evidenter aderant, nec nisi repetita sanguinis missione, vesicatoriis thoraci appositis, remediis revulsoribus adeo tollebantur, ut, quum febris antea continua fuerit, posteaquam inflammatoria phaenomena disparuerant, febris intermittens cum puriore apyrexia insequeretur, atque proferendis chinae praeparatis locus daretur, quo demum facto totus morbus cedebat. Similes sunt carditidis intermittentis casus ab eodem auctore observati. — Sed hisce exemplis nullo modo probatur et supra descriptas formas phlogoses habendas esse; germana, ut dixi, inflammatio nec periodice intermittit, nec maximis Chinini dosibus curatur, nec post mortem aegroti nulla sui vestigia relinquit. Merito igitur solo irritationis nomine phaenomena illa, fortasse ex uberiori sanguinis in organa varia confluxu profecta, indeque orta nervorum reactione, complectuntur. — Hisce formis caeteras quoque neurosibus simillimas intermittentes adseri velim, seu neuralgiae seu spasmi speciem praebentes. Nemo ignorat in quoque graviori intermittentium epidemia prosopalgias, hemicranias, epilepticas, immo tetanicas convulsiones certis periodis intermittentes, ac febrifugis cito tutoque tollendas observari. —

b. Altera ratio, qua larvatae intermittentes apparent, illa est, qua paralysin quodammodo imitantur. Ita nonnunquam loco primi paroxysmi talis et tanta virium prostratio subito incedit, ut tota corporis superficies algida, vultus collapsus, oculi concavi, color faciei fere cadaverosus, pulsus vix sensibilis, vox plane deficiens sit, utque hominem vix viventem crederes. Nec raro mors primum morbi insultum sequitur, saepius tamen reviviscit aegrotus, cutis calidior paullulum madescere incipit, pulsus plenior, vultus vividior fit, vivendi spes regreditur, vires tamen summe collapsae vitam vix retinere valent, quippe proximo accessui succubiturae. Pari periculo febris syncopalis accedit. Singulorum organorum

functionem paralysis quaedam periodica supprimere potest, uti in febri soporosa cerebri actio, in caecitate vel surditate periodica oculorum et aurium facultas sublata apparet. Torti, Senac, Medicus, Alibert, Pallas, multi alii harum larvatarum intermittentium imagines quasi ad vivum depictas reliquerunt. —

c. Considerantibus varias hasce aegritudinum species, haec prima nobis obvenit quaestio, quidnam inter se ac cum febri simplici commune habeant. Primum larvatarum paroxysmi per eosdem circuitus et accedunt et recedunt. Medicus, Senac, alii narrant, homines vix e profundissimo sopore vel ex insultu apoplectico experrectos e lectulo surrexisse, se prorsus sanos praedicasse, medicinam omnem repudiasse, in plateam exiisse; revertente autem secundo vel tertio die paroxysmo fato succubuisse. Porro, uti Sydenhamius, Medicus, alii referunt, paroxysmos supra descriptos, vel quum nulla adfuerint febrilia symptomata, haud raro criticae evacuationes, veluti lateritia urinae sedimenta sudoresque insequuntur. Porro Alibert et aliis saepe accidit, ut chinino intermittentem malignam in simplicem mutarent. Denique cortex chinae unicum fere ac tutissimum repertum est remedium, letiferis paroxysmis prohibendis. — Caeterum neque, uti recentiores Francogallorum scriptores volunt, per consensum larvatarum intermittentium phaenomena oriri verosimile est. Quanta, quaeso, illa ventriculi vel tubi intestinalis deberet esse inflammatio, quae tam profundo sopore, tam vehementibus spasmis vel apoplexiae symptomatibus stipata incederet? Nonne acerbissima gastritis vel enteritis, e. g. e veneno hausto, crebro observatur, cerebro vel medulla spinali nullo modo affectis? Quodsi igitur demus, illam quam Francogalli volunt, intestinorum affectionem saepius adesse, tamen aliquid accedat necesse est, quod et distinctos intermittentis typos et phaenomena maligna comitantia producat. —

d. Complectamur igitur jam omnia supra exposita. Subest larvatis intermittentium formis idem processus morbificus atque simplici febri; plura sunt quae id confirment: sed singula organa in ipsis agenti quodam noxio adeo obruta videntur, ut prae locali ipsorum irritatione natura medicatrix tanquam caput extollere febremque suscitare non valeat. Re autem vera naturam febrem provocare conari, vel ex typica accessionum reversione vel ex sedimentis lateritiis sudoribusque, nonnunquam et larvatarum intermittentium paroxysmos insequentibus, intelligas. Illud certum istas neque ex locali tantum inflammatione neque per consensum oriri; nervorum quidem systema in illis vehementer afflictum, quin et organa abdominalia nonnunquam inflammata apparere; at neque in sola nervorum nec viscerum locali affectione morbi fomitem quaerendum esse, quum plurima adsint, quae cum neurosium vel merae phlogosis natura non congruant. Iterum igitur eo deducimur, ut et larvatis formis depravatam quandam sanguinis mixtionem subesse suspicemur, unde forsan omnia phaenomena supra exposita facili negotio derivari poterunt. Atque haec opinio ex causarum morbum efficientium disquisitione multo probabilior evadet.

AETIOLOGIA.

a. Uti in quaque aegritudine, ita quoque in febri intermittente et praedisponentes causae et efficientes distinguendae sunt. Quod ad praedisponentes attinet causas neque aetas, nec genus neque officium ullum hominem inviolabilem reddit, nec nisi hystericum malum, quod equidem ex auctorum lectione comperi (Sydenham, Senac, Schneider), mulieres febri intermittenti minus ob-

noxias reddere dicitur. Videtur igitur nervorum systema, quum jam morbo implicitum sit, vel morbificis causis percipiendis vel reactioni febrili suscitandae minus idoneum esse. Quaeritur autem, an dispositio necessaria sit, ut quis vel tertiana, vel quotidiana, vel quartana, vel omnino certa intermittentis specie corripiatur. Hippocrates et postea omnes fere, qui febrium intermittentium epidemias descripserunt, affirmant, quotidianas et tertianas praecipue verno tempore, quartanas auctumno grassari. In quartana autem frigus diutius insistit, calor non adeo intensus, sudor plerumque parcior, morbus rarius post certum dierum numerum, uti saepius in tertiana observatur, sponte evadit, crebrius morbi consecutivi, inprimis hydrops obveniunt, morbus tardius decurrit ac torpidiorem characterem ostendit. Itaque Cleghorn bene monet, nec quum febris quartana praeponat, malum id, nec tertiana postponente atque in quartanam transeunte, bonum semper id signum credendum esse; illud enim validiorem reactionem ideoque et celeriorem morbi decursum, hoc diutinum fore morbum ac protractum iri significat. Huc accedit, quod regionum paludosarum incŏlae quartanis praecipue laborare, peregrini autem e locis sanioribus, praecipue elevatis in illas profecti, plerumque tertianis, vel duplicatis, corripi solent. (Monfalcon.) Nonne inde concluderes typum morbi intermittentis revera vel a facultate quadam pendere, qua nervorum systema noxios influxus percipiat, atque a vigore quodam, quo vel citius vel tardius in eos reactionem suam exhibere valeat? Sicut scilicet vere ineunte et plantae et animalia adaucta omnium virium vitalium actione gaudent, sic et in homine tunc evolutio quaedam virium intrare cernitur; corpus hiberno frigore atque oxygenio e spissiori aëre uberius hausto roboratum intensiore fibrarum tono excellit; sanguis fibrina ac cruore abundantior, ideoque et morbifico cuique influxui organismus fortius resistere valet. Con-

tinuo autem aestivo calore vires languescunt, auctumno praesertim involutio quaedam virium vitalium advenit, indeque et humani corporis in infestum quodque reactio minus fortis et valida fit. Ex hoc igitur minori vel majori organismi robore, quippe quod ab evolutione et involutione quadam annua pendeat, quo etiam homines paludosa loca incolentes a montanis differunt, typum febrium intermittentium potissimum deducendum arbitror; ita quidem, ut quotidianam tertianamque ex valida, quartanam ex debiliori naturae reactione proficisci credam.

b. Jam vero causas efficientes spectemus. Febres intermittentes, seu quotannis in regione aliqua endemiae seu tantum post longiora annorum intervalla epidemiae accedunt, saepissime, ut dixi, ineunte vere vel auctumno assurgunt, quippe haec anni tempora crebris tempestatis vicissitudinibus, majore pluviarum copia ideoque et humidiore aëris statu excellunt. Rarius certe ex solis celerioribus caloris frigorisve vicibus oriuntur. Verno enim tempore aër neque meridie adeo incalescit, ut inde magna nocturni diurnive caloris differentia prodeat; at vel nive hiemali liquefacta vel uberiore atque continua imbrium copia, ex meridionalium et septentrionalium ventorum certamine luctaque orientium terra humiditate multa impraegnata et aër multis aquosis partibus repletus est. Ex nimia autem ac continua aëris humiditate cachexia hominum exoriri solet, quae fortasse suppressa cutis transpiratione nititur, ac si breve tantum tempus insistit, morbos catarrhales, sin vero diutius, peculiarem sanguinis dyscrasiam adducit, cui veteres leucophlegmatiae nomen imposuere quaeque sine dubio ex praevalenti sanguinis serositate proficiscitur. Atque ea potissimum in regionibus paludosis endemia observatur. Quis non Hippocratis hominum loca paludosa incolentium descriptionem novit? Monfalcon libro de paludum natura, quo auream sibi palmam peperit, homines in istis regionibus

valetudinarios nasci ait; ipsa infantia hic teneram ac venustam formae pulchritudinem, divinum illud Gratiarum munus, nusquam ostendit, rugae ora juvenilia sulcant, squalida laxaque cutis morbida et debilia organa includit, foeda tumescentia membris agilitatem omnem et velocitatem aufert, vultus inflatus laeta mentis imago esse desinit. Etiam adultorum corpora exigua, abdominis cavum prae caeteris amplum et tumidum, facies vel lutea vel icterico colore tincta vel pallida apparet, membra tumefacta, oedematosa, ita ut digiti inpressio cavum relinquat, pulsus parvi et tardi, functiones corporis secretoriae torpent, quin et mentis facultas hebes, ingenia tarda repeperiuntur, animus vel iracundia vel quovis alio affectu raro turbatur. Neque animalia in istis regionibus sana, ex lienis atque hepatis obstructionibus vel reconditis viscerum internorum inflammationibus intereunt; nec mirum denique, quod et plantarum fructus aquosi sint, saccharo et oleis aethereis careant, ideoque et nutriendis hominibus et animalibus minus idonei, augendae potius cachexiae leucophlegmaticae permultum conferant. Ex nimia igitur terrae et aëris humiditate continua revera cachexia oritur, chlorosi simillima, ac sine dubio par ei atque in illo morbo sanguinis dyscrasia, nempe nimia ejus serositas, prae minori fibrinae cruorisque copia praevalens, supponenda videtur.

c. Febres vero intermittentes vel epidemie vel endemie tunc potissimum grassantur, ubi ad magnam aëris humiditatem intensior ac continuus aestivus calor accedit. Scimus jam, quales magna humiditas in oeconomia mutationes efficiat; quaeramus itaque, quae fervido calori originem debeant. Recentioribus quidem disquisitionibus monstratum est, atmosphaerae mixtionem eandem semper inter varios caloris gradus manere. — Quum autem calore aër extenuetur, fieri non potest, quin id aestivo tempore majorem in modum eveniat, ideoque quovis aëris

haustu respirandi causa facto minor oxygenii copia in sanguinem recipiatur atque hoc hieme fieri necesse est, quo tempore aër e contrario frigoris actione densior evadit. Inde hiemali tempore quavis inspiratione major oxygenii copia sanguini immiscetur, atque cum et cutis actione minus vigente, humidi major pars per pulmones excernatur, et respirationis actus omnino validior et pulmones majori vitali turgore praediti apparent: atque haec est causa, cur hiberno tempore atque in frigidis regionibus organa respiratoria praecipue morbis exposita sint. Aestate vero, praesertim si calor intensior, functio respiratoria infirmior facta est, sanguis multo plus carbogenii retinet, quum minori oxygenii quantitate recepta minor quoque acidi carbonici quantitas paretur atque per pulmones excernatur; quin revera, uti Annesley refert, experimentis monstratum est, in tropicis regionibus aestate multo minus acidi carbonici quam hieme e pulmonibus exhalari. Inde fit, ut sanguinis tanquam nimio carbogenio onerati affluxus in hepar existat, quippe quod praeter pulmones carbogenio, maxime quod hydrogenio sit junctum, eliminando destinatum est. Atque hac de causa apud nos aestate, praeterea in tropicis regionibus ferme semper hepaticae affectiones seu biliosi morbi praevalent. Europaei inprimis, atque omnes qui ex septentrionalibus regionibus in meridionales veniunt, morbis istis obnoxii sunt; aequo modo vice versa Aethiopes, quum ex interiori Africa in Europam quamvis meridionalem deducantur, maximam partem e pulmonum morbis intereunt. Iste quidem sanguinis vel in pulmonibus vel in hèpate exoriens turgor, qui et morborum origo ducendus est, conamen naturae videtur esse materiae cujusdam superfluae e sanguine excernendae, atque haec quidem materia hoc in casu nimia carbogenii copia habenda videtur.

d. Sanguinis igitur depravata mixtio, si qua febribus intermittentibus supponenda videtur, in nimia ejus

serositate atque adaucta, quam dicunt, venositate constare. Sed restat, ut exponamus, quomodo miasmata, quae paludes exhalant, ad proferendas intermittentes conferant. Nemo ignorat, in quacunque aqua stagnante, maxime si intensior caloris actio accedat, plantarum atque animalium cadaverum congeriem accumulatam in putredinem abire; foetidae exhalationes cum ipso aquoso vapore in aërem elatae, sub vesperum frigidiori aëre condensatae, in inferioribus atmosphaerae stratis recumbunt, ubi vel tenuibus nebulae vesiculis vectae, vel admodum aëris instar pellucidae, cum spiritu hauriuntur; nonnunquam fit, ut vento sublatae in colles elatiores assurgant, inde decidant atque animantibus omnibus venena sua inspergant. Etenim revera uti venena agere, ac praecipue nervorum systema infestare videntur. Qui enim aliter febres soporosas, apoplepticas, deliria furibunda, cadaverosum corporis algorem, lipothymias, convulsiones, atque alia multifaria phaenomena, quam ex venenata sanguinis conditione explices? hae malignae species potissimum in locis paludosis, ubi aër noxiis effluviis scatet, exoriuntur. In septentrionalibus terris, nisi insolito aestatis calore uberior mephiticarum exhalationem copia emittitur, febres malignae non nascuntur, uti in epidemia anni 1826 in maris Germanici littoribus observare contigit; in Italia sunt frequentiores, in Indiis atque in Guinea terra simplices intermittentes raro, crebro malignae obveniunt. Non nego, oportere et hisce corporum quandam dispositionem accedere. Monfalcon refert, elatarum salubriumque regionum incolas, quum in humidas valles descenderint, multo magis istis malignis formis succumbere, ac qui continue istic habitent; nec ignorat quisquam, Europaeos in tropicis climatibus lethalibus illis miasmatis prae ceteris affligi, autochthones optima gaudere valetudine; quin in aurea Guineae ora robustissima ac validissima corporum constitutione insigne Aethiopum genus habitare. Hisce autem

probatur, utique miasmatibus paludosis venenorum quandam naturam inesse, quum, qui ipsis assueverint, noxiam eorum vim prorsus effugiant. — Praeterea sunt, qui ex putridis istis paludum effluviis eandem sanguinis dyscrasiam adduci censeant, atque supra ex intensioris caloris actione prodire animadverti. Reil, Stark, Gittermann, alii id affirmant, ac biliosos aestivos morbos partim ex miasmatum illorum effectu deducunt. Verum multa sunt, quae, quum sanginis κρᾶσις febri intermittenti generandae apta jam existat, morbum istum provocare valeant, uti animi affectus, levior cutaneae perspirationis suppressio, cibus aliquis difficilis concoctu ventriculum onerans, vel frigidioris aquae haustus: at hae non causae efficientes, sed potius occasionales habendae sunt. Miasmata illa in corpus vim suam non exhibent, nisi simul et humiditas et calor aestivus vehemens actiones suas in illud prodiderint: praeterquam igitur quod haec sola malignas species provocare queunt, id potissimum agere videntur, ut, sicuti causae occasionales, aequilibrium, quod tanquam inter vasa et nervos existit, turbent, ideoque febriles motus lacessant.

e. Reliquum est, ut quae revera sanguinis mixtio sit, exponamus. Pallas in hominibus ex febri intermittente mortuis, internam arteriarum et venarum membranam integram, sanguinem vero in eis contentum nigrum et serositate abundantem invenit. Senac ac novissimo tempore Fricke vasa mesenterii nigerrimo, ut dicit, succo turgentia, nec raro cordis atria et pulmonis vasa atro sanguine repleta cognovit. Cleghorn sanguinem e vena missum serosiorem atque ex bile admixta flavescentem reperit. Verum est rarius sanguinem exploratum esse ideoque pauca modo nobis relata sunt; sed omnes fere, quos legi, scriptores in eo consentiunt, sanguinem copiosam serositatem atque nigriorem quam soleat colorem obtulisse.

Itaque si jam omnia, quae nobis ex symptomatum atque causarum disquisitione ad illustrandam febrium intermittentium naturam redundaverint, comprehenderis, haecce restat sententia: febrem intermittentem organismi reactionem esse in abnormem sanguinis crasin, a natura medicatrice provocatam; depravatam autem sanguinis mixtionem in nimia ejus serositate atque adaucta venositate constare. Negari non potest, quum a nervis reactio exeat, praesertim ex ipsorum in cor et vasa actione, eosdem hoc morbo valde affligi; ne dicam nullum acutiorem existere morbum, quin nervi quoque vehementer irritentur, multa adsunt, uti frigus intensius, symptomata comitantia, crebro veram morbi naturam larvantia atque meras neuroses imitantia, quae nervos hic violentius afflictos esse arguant. Illud quoque concedendum, iisdem ex causis, quibus intermittentes oriantur, locales quoque inflammationes, maxime in organis, in quae sanguinis turgor dirigatur, accedere posse. Verum accedunt, ut dixi; primaria autem morbi origo in vitiata sanguinis mixtione quaerenda est.

CADAVERUM SECTIO.

Quodsi haec vera est sententia, ea quae ex cadaverum sectione cognita sunt in ipsam quadrent eamque probent ac confirment, necesse est. Plerumque post mortem organa abdominalia commutata reperimus. Prae caeteris lien affectus apparet, massa ejus adaucta, ita ut in pelvim nonnunquam atque ultra umbilicum in dextrum abdominis latus extendatur; parenchyma ejus vel induratum vel crebrius emollitum, pulposum atroque sanguine repletum invenitur. Sed et prorsus integrum nonnunquam

lien se praebet, uti Senac refert, idque refutandae istorum opinioni inserviat, qui intermittentem a lienitide derivant.

Praeterea, uti Senac ait, aliquid semper circa hepar occurrit. „Hepati inprimis inusta reperitur labes; albidum est plurimum et veluti exsangue, nonnunquam mole auctum, induratum, glandulis flavis obsitum, alias vero sanguine turgens, eoque nigerrimo; fuere in quibus post duplicem tertianam abscessum reperi; in quibusdam vero venam portarum in tubum amplissimum abiisse observavi." Similia Cleghorn, Monfalcon, Pallas, alii referunt. E contrario Medicus pluries observavit hepar illaesum atque omni vitio immune fuisse, quamvis ingens bilis copia in tubum intestinalem emanaverit, quapropter morbi originem corruptae bili adscribit: neque in hepate igitur primaria morbi sedes quaerenda est, quamvis ipsum morbificae actionis particeps fieri pateat. — Porro et mesenterii vasa turgentia reperiuntur, itidem glandulae lymphaticae cruore obstructae, vel inflammationis speciem praebentes. Pancreas quoque haud immune restat: in nonnullis cadaveribus partem ejus obstructam invenit Senac, in aliis universam ejus molem scirrhosam vel certe insigniter auctam; fuere quoque, qui abscessus observaverint in ejus contextu. Denique et in tubo intestinali tela membranarum crebro destructa cernitur, crassiores apparent, maculis rubris obsitae, nonnunquam ulcera in membrana mucosa, plerumque in ileo vel ad valvulam ileocoecalem occurrunt. — Haec autem in liene, hepate, in glandulis mesentericis et in caeteris organis abdominalibus reperta post mortem vitia, non solum a passiva quadam sanguinis stagnatione, qualis febrili vasorum cutaneorum spasmo inter frigoris stadium efficitur, deducenda arbitror, sed etiam in activum quendam sanguinis in organa ista confluxum referenda. Annesley casum describit hominis ex primo malignae intermittentis paroxysmo defuncti, in cujus abdomine, quamvis nulla fere adfuerint frigoris symptomata

omnia fere organa sanguine nigro turgentia atque emollita reperta sunt. In epidemia, quae anno 1826 ad Germanici maris littora saeviit, oblati crebro sunt casus, in quibus lienitidis symptomata prius quam febrilia aderant: quare Dohrn, qui morbum in Dittmarsia observabat, lienitidis nomen ei tribuendum proponit. Videmus igitur mutationes illas viscerum abdominalium revera cum originaria febrium intermittentium indole cohaerere. Natura medicatrix sanguinis fluxum in ea organa dirigit, ex quibus vena portarum oritur, ut per ipsam in hepar deducatur. Ex peculiari igitur sanguinis corruptione, qua nempe nimiam carbogenii copiam continet, locales quoque abdominalium viscerum affectiones derivandae sunt. —



VITA.

Natus sum ego Marcus Born Lesnae, die x. m. Maji a. MDCCCXIX, patre Meyer Buttermilch, matre Bertha e gente Nürnberg, quibus parentibus dilectissimis vivis et integris valde gaudeo. Veteri fidei sum addictus. Primis literarum elementis imbutus gymnasium Lesnense, tum auspiciis directoris Beat. Stoephasii florens, adii et octo per annos frequentavi, deinde a directore Cel. Schöler maturitatis testimonio instructus, m. Majo anni MDCCCXXXVIII almam literarum academiam Fridericam Guilelmam petii, ubi a t. t. rectore magnifico Ill. Boeckh in civium academicorum numerum receptus, ab Ill. Wagner, t. t. decano spectatissimo, medicinae studiosis adscriptus, per quinquennium ad studia incubui.

His quidem decem per semestria interfui scholis virorum Illustrissimorum ac Celeberrimorum:

Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medicinae; Ill. Mitscherlich de chemia organica et anorganica; Cel. Magnus de physice; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Kunth de

botanice; Ill. Schultz de historia naturali; Ill. Trendelenburg de logice; Exp. Isensee de physiologiae elementis; Ill. Schlemm de osteologia; Ill. Müller de anatomia universa et comparata, et de physiologia; in arte cadavera rite secandi Ill. Müller et Schlemm mihi duces fuere; Ill. Henle de pathologia generali; Exp. Troschel de chirurgia; Ill. Casper de pathologia et therapia speciali; Cel. Mitscherlich de materia medica; Cel. Romberg de propaedeutice clinica.

In operationibus circa cadavera instituendis dux mihi erat Ill. Schlemm; in operationibus ophthalmiatricis Exp. Angelstein. Exercitationibus clinicis, medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis, paediatricis et syphiliticis interfui virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum: Schönlein, Beat. Osann, Wolff, Jüngken, Busch, Kluge, Wagner.

Quibus omnibus viris, maxime de me meritis, gratias ago et in sempiternum habebo, quas possum maximas.

Tentaminibus, et philosophico et medico, atque examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Febres essentiales nego.
2. Scrophulosis et tuberculosis morbi ejusdem naturae sunt.
3. Sanationum methodi quas vocant, mirabiles, sympatheticas, non modo felicium, imo etiam rationalium laudem interdum sibi vindicant.
4. Trepanatio matura praestat serotinae.

